

1118  
72

DE  
**POLLICITATIONE**  
INPRIMIS  
**IN SPECIE SIC DICTA**

---

PRAESIDE  
**DANIELE NETTELBLADT**

POT. BORVSS. REGI A CONS. INT.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE

ET ORDINARIO FACULT. IUR.

INCLYTI ORDINIS IURIDICI CONSENSU

PRO

SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

DIE FEBRUARII MDCCLXXIX

DISPVTABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

**CHRISTIANVS HENRICVS BARTH**

ANNABERGENSIS

---

HALAE  
LITTERIS CVRTIANIS.



DE  
POLLICITATIONE  
INPRIMIS  
IN SPECIE SIC DICTA

---

---

§. 1.

*Instituti ratio.*



De pollicitatione, imprimis in specie sic dicta, tam secundum ius romanum, quam secundum ius hodiernum, tenui hoc libello differere, constituimus. Quod ut ordine fiat, ipsi huius doctrinae tractationi praemittemus ea, quae ad praecognita eius pertinere videntur.

A

SECT. I.





Not. 1. Dissertationes iuridicæ sunt, vt scripta iuridica in genere, vel *legales* seu *exegeticæ*, vel *dogmaticæ*, vel *casuisticæ*, prout nimirum vel legem quandam explicant, vel theoriam doctrinæ cuiusdam iuridicæ exhibent, vel casum quandam iuridicum ex principiis iuris resolvunt. Nostram quidem dissertationem e genere dogmaticarum esse, per se patet. Regulas autem, secundum quas dissertationes iuridicæ dogmaticæ conscribendæ sunt, exemplo docuit Perill. NETTELBLADT in *Diss. de expensarum et pretii restitutione in retrovenditione*. Hal. 1776. 4.

Not. 2. De pollicitatione secundum ius naturale vid. GROTIUS de *Jure Bell. ac Pac. lib. II. c. XI. §. 1. 2. 3. 14.* PUFFENDORF de *Jure Nat. lib. III. Cap. V. §. 6. & Cap. VI. §. 215.*

## S E C T. I.

### PRAECOGNITA DOCTRINAE DE POLLICITATIONE INPRIMIS IN SPECIE SIC DICTA.

#### §. 2.


##### *Praecognitorum capita.*

Praecognita doctrinæ de pollicitatione, inprimis in specie sic dicta, redeunt ad duo haec capita, quorum primum est de fontibus, & alterum de scriptis huius doctrinæ.


#### §. 3.

##### *Fontes huius doctrinæ.*

Duo sunt fontes doctrinæ de pollicitatione, inprimis in specie sic dicta. I.) Primus fons sunt leges, in corpore iuris civilis super pollicitatione inprimis in specie sic dicta, extantes. Pollicitatio enim inprimis in specie dicta, si originem eius spectes, e iure romano descendit: ideoque ante omnia videndum, quae  
de



de ea extent leges romanae. Exhibent haec leges titulus Pandectarum (Lib. L. tit. XII.) de pollicitationibus. Omnes enim, quas ille titulus continet leges, agunt de pollicitatione inprimis in specie sic dicta, excepta lege secunda, ubi de voto agitur. Praeterea pollicitationis in specie quoque mentio fit in *l. 46. §. 1. D. de administr. & perecul. tut. l. 6. §. 1. D. de muner. & honor. l. 5. D. ad leg. falc.* et in *l. univ. C. de ratiocin. oper. publ.* II.) Alter fons huius doctrinæ est analogia iuris, tum romani, tum reliquorum iurium, quibus in Germania vitimur, quatenus haecce iura continent principia, quae in determinandis iuribus & obligationibus circa pollicitationem inprimis in specie sic dictam usum praestant. Quemadmodum enim in tota iuris prudentia positiva ad analogiam iuris recurrendum est, si de re quadam deficiunt leges expressae, attamen principia iuris adsunt, ex quibus, quid circa eam iustum est, definiri potest: ita illud hoc quoque loco obtinet. Non solum autem *analogia in sensu stricto*, per quam intelligimus, si a simili argumentum ducitur, sed & *reliqua iuris analogia* usum nobis praestat in explicando iure pollicitationum. Etenim pollicitationi in specie similia sunt votum, pactum, & inprimis donatio; ergo ab his ad pollicitationem recte argumentamur. Reliquæ vero iuris analogiæ, præter strictè sic dictam, toties locus est, quoties quaestiones de pollicitatione inprimis in specie sic dicta incidunt, quæ ex generalioribus iuris principiis, veluti de statu servorum apud Romanos, de peculio filiorumfam. &c. definiendæ sunt. Vtramque iuris analogiam vberimum esse fontem nostrae doctrinæ, ex ipsa eius tracta-



tractatione abunde constabit. Ceterum de analogia iuris vid. Perill. NETTELBLADTII *Nova Introd. in iurispr. pos. germ. commun.* §. 483. seq.

Not. Nec in iure canonico, nec in legibus germanicis vniuersalibus, quicquam de pollicitatione in specie cautum legimus.


§. 4.

*Scripta de pollicitatione imprimis in specie sic dicta.*

MARTIN. LIPENIVS in *Biblioth. iurid.* (edit. Lips. 1757. fol.) & V. C. AVG. FRID. SCHOTT in *Lipenii Biblioth. iurid. Supplem. ac Emendat.* (ibid. 1775. fol.) sub voce: *pollicitatio*, haec scripta referunt:

- 1) PYRRH. ALPHANVS *de Pollicitationibus et pactis.* Lugd. 4. Verus ac integer titulus huius scripti, vt NICOLO TOPPI in *Bibliotheca Napolitana (in Napoli 1678. fol.)* pag. 253. refert, ita se habet:  
*De Pollicitatione, Pacto & Contractu ad Rub. ff. de Verbor. oblig. Neap. apud Constantinum Vitalem 1604. in 4.*
- 2) GVIL. LEYSERI *Disp. de pollicitatione et voto.* Viteb. Haec disputatio eadem esse viderur cum WILH. LEYSERI *Diff. inaug. ad L. si quis II. D. de pollicitat. vbi de votis* Praefide ION. STRAVCHIO habita Jen. 1657. quam LIPENIVS in *Bibliotheca sua*, sub voce: *votum*, allegavit, quæque, vt monuit V. C. SCHOTT in *Supplem. ac Emend.* quoque extat in AHASV. FRITSCHII *Differtat. legal.* (Rudolst. 1671. 4.) p. 410-440. Nam WILH. LEYSERVM, præter hanc disputationem, aliud de pollicitatione & voto edidisse scriptum, nulla extat memoria: illa autem disputatio non nisi de votis agit. Quapropter hoc scriptum delendum est sub voce: *pollicitatio*. LAVR. ANDR. HAMBERGER in *vita Jo. Strauchii* (in EIVS *Opuscul.* p. 433. seq.) mentionem facit programmatis *Jo. Strauchii de pollicitationibus*. Fortassis est programma inaugurale ad dictam WILH. LEYSERI disputationem inauguralem.

3.) HENR.



- 3) HENR. BOCER *Disp. de obligationibus & pollicitatione.* In EIVS *Dispp. iurid.*
- 4) CHRISTOPH. CASPARI *Diff. de pollicitationibus.* Arg. 1650. 4.
- 5) QVIR. SCHACHERI *Disp. de pollicitatione* Lips. 1654. 4. Plenus titulus huius disputationis est: *de pollicitatione eiusque actione exinde descendente.*
- 6) CHR. CASP. STOECKKEN *Disp. de Pollicitatione.* Arg. 1650. 4. Auctor huius dissertationis est GERARD VON STOECKKEN: a quo tres dissertationes habitæ sunt de pollicitatione, quarum prima Argent. 1650 defensa est. Hæ autem tres dissertationes postea, sub nomine præsidis, iunctim prodierunt Argent. 1679. 4.
- 7) PETR. MASCOVII *Disp. de pollicitatione & voto.* Gryphisw. 1703.
- 8) DIDER. ROSENCAMPII *Disp. de obligatione pollicitationis.* Duisb. 1729. 4.

Ceterum hoc adhuc monemus, pollicitationem in specie explicasse *Christ. Casparum, Quir. Schacherum*, et, qui latissime de ea scripsit, GERARD. VON STOECKKEN, reliquos autem simul et alia tractasse. Sic *Petr. Mascov* Sect. I. de pollicitatione in specie sic dicta, et Sect. II. de voto egit, nec non *Dider. Rosencamp* Cap. I. de obligatione pollicitationis in genere, Cap. II. de obligatione pollicitationis factæ privatis, Cap. III. de obligatione pollicitationis factæ reipublicæ, & Cap. IV. de obligatione pollicitationis Deo factæ, five de voto, commentatus est.

## S E C T I O II.

### TRACTATIO IPSA DE POLLICITATIONE IN- PRIMIS IN SPECIE SIC DICTA.

§ 5

*Ordo tractationis ipsius.*

Postquam de iis, quæ ad præcognita nostræ doctrinæ pertinere videntur, quod satis est, diximus, ad ipsam tractationem



tionem ut progrediamur, instituti ratio postulat. Qua quidem in re ita versabimur, ut primo capite de pollicitatione in genere, altero vero de pollicitatione in specie exponamus.

## C A P. I.

### DE POLLICITATIONE IN GENERE.

#### §. 6.


##### *Pollicitatio in genere quid?*

Pollicitatio in sensu iuridico, attamen generali, nihil aliud est, quam promissio a promissario non acceptata. Ex quo per se patet, quis *pollicitans*, seu *pollicitator in genere* nominandus sit. VLPiano in *l. 3. D. de pollicitat.* pollicitatio in genere est *offerentis solius promissum*. Sed nostra definitio magis placet.

#### §. 7.

Not. 1. De etymologia vocabuli pollicitationis vid. GERARD. VON STOEKKE in *Diss. de pollicit. Quæst. I. §. I. II. & III.* PETR. MASCOV in *Disp. de pollicitat. & voto* Sect. I. §. II. & qui novum etymon eruisse sibi visus est, DIDER. ROSENCAMP in *Disp. de obligat. pollicitat.* Cap. I. §. XXI. & XXII.

Not. 2. Hæc significatio pollicitationis in genere præcipua & frequens est in iure nostro. Sed præterea adhuc in duplici sensu obvenit. I.) Primum nempe generatim sumitur pro qualibet promissione. Quo sensu & substantivum *pollicitatio*, & verbum *polliceri*, sæpissime occurrunt, tum in libris iuris civilis ut in *l. 43. §. 1. D. de contrab. emt. l. 1. §. 8. D. de dot. collat. l. 3. C. de donat. ante nupt. l. 6. C. de dot. promiss. & nuda pollicit.* tum apud alios auctores latinos. Inprimis prætor actionem iudiciumve pollicere dicitur, qui daturum se actionem iudiciumve edicit, in *l. 1. §. 23. D. de exercit. act. l. 3. D. de sepulcr. viol.* Obser-



Observandum præterea est, verbum polliceri, contra Grammaticorum, regulas, passive poni ab VLPiano in *l. 1. §. 18. D. de exercit. act.* Vid. CAR. ANDR. DVCKER *de Latin. Ictorum vet.* (edit. Lips. 1773. 8.) pag. 302. II) Deinde aliquando pollicitatio speciatim accipitur pro promissione privata sponte facta, seu pro pacto nudo. Sic VLPiano in *l. 19. §. 2. D. de Aedil. edict.* *Promissum autem referri potest et ad nudam promissionem sive pollicitationem, vel ad sponsum, nec non Imp. DIOCLET. & MAXIM. in l. 5. C. de contrab. & committ. stipul. Nuda pollicitatione secundum ea, qua sæpe constituta sunt, ad præstanda ea, quæ promiserat, urgeri quemquam, non semper iura permittunt.* Conf. BARN. BRISSONIVS *de Verb. Signif.* (edit. noviss.) p. 1070.

#### §. 7

##### *Pollicitationis in genere differentia a pacto.*


Pollicitatio in hoc sensu differt a pacto, & quidem in eo, quod pactum sit promissio a promissario acceptata, pollicitatio autem nullam requirat acceptationem. VLPiano in *l. 3. pr. D. de pollicit.* *Pactum est duorum consensus, atque conventio*: seu, ut plenius in *l. 1. §. 2. D. de pact.* definitur, *duorum pluriumve in idem placitum consensus*. *Pollicitatio vero offerentis solius promissum*. Vid. PET. MASCOV *Diss. de pollicit. & voto.* Sect. I. §. XIX. Si acceptatio accedit, pactum fit. Vid. IAC. CUVIACI *Observat. et Emend. Lib. XIX. Cap. XXXII.*

#### §. 8.

##### *Pollicitatio quotuplex?*

Pollicitatio in sensu §. 1. tradito, si ab effectu civili consideratur, est vel *nuda* seu *iuris gentium*, quæ nullam obligationem civilem producit, vel *non nuda* seu *legitima*, quæ obligationem

nem



nem civilem producit. Conf. LAVTERBACH *Colleg. theor. pract. ad Pand. tit. de Pollic. §. II.* GODOFR. LVD. MENCKEN *de Action. forens. Sect. II. Cap. II. Membr. 1. §. 2.* CHRISTOPH. CASPAR *Diff. de pollicitat. §. IV.* PETR. MASCOV *Disp. de pollicitat. et voto Sect. I. §. VII.*

## §. 9.

*Pollicitatio nuda quae?*

Pollicitatio privato facta nuda est. *Privatus* hoc loco vocatur, qui nec respublica, nec Deus est, ut in sequentibus latius exponemus. Eiusmodi enim pollicitationi nulla vis ac potestas obligandi a legibus civilibus tributa est. PAVLVS *Sent. recept. lib. V. Tit. XII. §. 9.* *Ex nuda pollicitatione, nulla actio nascitur: ideoque eius bona, qui se heredem Imperatorem facturum esse iactaverat, a fisco occupari non possunt.* Vid. plura hac de re disputantem DIDER. ROSENCAMP in *Diff. de pollicitat. obligat. Cap. II.*

## §. 10.

*Pollicitatio non nuda quotuplex?*

Pollicitationis non nudae vero duae sunt species, nimirum *pollicitatio in specie*, seu *κατ' ἐξοχήν sic dicta*, et *votum*, prout vel reipublicae, vel Deo facta est. Nos quidem vnice de pollicitatione in specie sic dicta acturi sumus, quam et in sequentibus semper intelligimus, si de pollicitatione simpliciter loquimur.




## C A P. II.

## DE POLLICITATIONE IN SPECIE SIC DICTA.

## §. II.

*Pollicitatio in specie quid?*

Est igitur *pollicitatio in specie sic dicta* ea pollicitatio non nuda (§. 8.), quae reipublicae facta est. Recte se habere hanc definitionem, docent *l. 1. pr. & §. 4. 5. l. 4. l. 6. §. 3. l. 9. l. 11. l. 13. §. 1. D. de pollicit. l. 5. D. de oper. publ.* Vid. IO. ORTW. WESTENBERG *Divus Marcus Dissert. XXV. §. 11.* IO. GOTTL. HEINECCI *Elem. Jur. civil. sec. ord. Pandect. tit. de pollicit. §. CCCXXXIII.* Sub reipublicae nomine vero hic quoque civitates continentur, ut et alibi passim. Conf. BARN. BRISSONIVS *de Verbor. signif. voce: respublica, et vocib. abesse reipublicae causa.* Patet hoc ex *l. 1. §. pen. D. eod. vbi: si columnas Citiensibus promisisti &c.* Citienses erant incolae Citii, meridionalis Cypri oppidi, coloniae Phoenicum, de qua vrbe, portu egregio instructa, plura videri possunt apud MEVRSIVM in *Cypro Lib. I. cap. X.* Conf. EGID. MENAGII *Jur. civ. Amoen. Cap. XIII.* nec non WVNDERLICH *Addit. ad Brissonium de Verb. Signif.* (Hamb. 1778. fol.) sub hac voce. Evolvat porro *l. 8. D. eod. vbi: si opus profcaenii, quod se Gabinis exstructurum promisit; et in fine d. l. fundum, quem in territorio Gabiniorum habet.* Gabini, seu Gabinii sunt vrbs Gabinorum seu Gabinae cives: quae vrbs fuit Volscorum, Albanorum colonia, via Praenestina ad centesimum ab vrbe R. stadium, olim populosa nullique amplitudine aut splendore inferior. Vid.



DION. HALICARNASSEVS *Lib. IV. Antiq. Rom. c. 60.* Ab ea et porta et via Gabina, Gabina lex, Gabini cinctus, nec non ager Gabinensis nomen habent. Huiusmodi pollicitationem non nudam esse, seu obligationem civilem producere, (dummodo habeat requisita, de quibus in sequentibus dicendi locuserit), manifestum est *ex l. 1. §. 1. l. 4. l. 6. §. 2. l. 7. l. 9. l. 13. l. 14. D. de pollicit. l. vn. C. de ratioc. opey. publ. et l. 6. §. 1. D. de muner. et honor.* Denique ex his facile intelligitur, quis *pollicitans* seu *pollicitator in specie* vocandus sit.

Not. 1. Pollicitatio in specie sic dicta vario sub nomine venit in legibus nostris. Sic in *l. 1. §. 5. D. de pollicit.* vocatur *liberalitas*, in *l. 18. D. eod. gratia* in *l. 13. §. 1. donatio*, quemadmodum pollicitans *donator* in *l. 9. D. eod.* & in *l. 13. §. 1. D. eod. donare* dicitur, in *l. 3. D. eod. promissum*, quemadmodum pollicitator *promittere* dicitur in *l. 1. §. 1. 2. §. D. eod.*

Not. 2. Atheniensium lege, poenam capitis constitutam fuisse adversus eos, qui, quod promiserant reipublicæ, non facerent, refert DEMOSTHENES. Προς λεπτήην, ἔσι δὲ δήπου, inquit, νόμος ὑμῶν, εἰαν τις ὑποσχόμενος τι τῶν δήμον ἢ βουλῆν, ἢ διακασίριον, ἐξαπατήσῃ, τὰ ἔσχατὰ πάσχειν. Porro vobis lex est, si quid quis populo, aut senatoribus, aut iudicibus pollicitus, sefellerit, ultima patiatur. Vid. FR. CONANI *Comment. Jur. Civil. Lib. V. cap. VIII. in fin.*

### §. 12.

#### *Exempla pollicitationum apud scriptores Romanos.*


Varia exempla pollicitationum extant apud scriptores Romanos. MODESTINVS in *l. 10. D. de pollicit.* *Septicia certamen patriae suae pollicendo, sub hac conditione pollicita est, uti fors apud eam remaneat, & ipsa usuras semissales ad praemia certantium resolvat,*



in haec verba. Φιλοτιμούμαι καὶ καθιερω ἀγῶνα τετραετηρικὸν ἀπὸ μυριάδων τριῶν, τὸ τοῦ κεφαλαίου αὐτῆ κατέχουσα ἀργύριον, καὶ ἀσφαλιζομένη παρὰ τοῖς δεκαπρώτοις ἀξιοχρεῶς ἐπὶ τῷ τελείν μετὸν ἐξ ἔθους τριῶν μυριάδων τόκον, ἀγνοθετοῦντος καὶ προκαθεζομένου τοῦ ἀνδρός μου, ἐπαυδῆς δὲ τῶν ἐξ ἐμοῦ γεννηθησομένων τέκνων. χωρήσει δὲ ὁ τόκος εἰς τὰ ἀθλα τῶν θυμηλικῶν, καθὼς ἂν ἐφ' ἐκάστου ἀθλήματος ἢ βουλῆ ἐρίση. Vulgata versio: *Largior et dedico agone quadrimestri ex triginta millibus, fortis ipsa pecuniae me retinens pecuniam, & cavens apud Decemprimos idonee super pendendis a me solitis triginta millium usuris, agonothea & praeside futuro viro meo, & deinceps liberis ex me nascituris. Cedent autem haec usurae in praemia thymelicorum, prout in unoquoque certamine curia determinabit.* HAL. in Graecis ita vertit: *Ex liberalitate ac munificentia dedico quadrimestre certamen de triginta millibus fortis: ita quidem, ut, pecunia apud me retenta, apud Decemprimos, de praestandis in editionem consuetis triginta millium usuris idonee caveam: designatore ac praefecto marito meo, & deinceps qui ex me nascentur, liberis. cedent autem haec usurae in praemia Thymelicorum, prout unoquoque in certamine senatus definierit.* IO. FRID. GRONOVIVS *de pecunia veteri Lib. IV. c. II. p. 330.* τὸ pollicendo tanquam a librariis intrusum eiciendum esse censet. Sed recte monuit H. G. VAN VRETHOFF in *Observat. Jur. Civ. C. 1. p. 2.* adesse tantum tautologiam & ideo retinendam esse hanc vocem. Notandum enim est, saepissime occurrere tautologias, tum apud iureconsultos, tum apud alios optimos auctores latinos, nec ideo aliquid mutandum esse. *Semis.*



*sales usurae* hic dicuntur pro semissibus. Conf. GER. NOODT de *Fæn. & Vsur. Lib. II. cap. X.* Vocabulum *Agonis* græcum idem est, quod certamen, & *ago quadriennis* dicitur certamen, quod quarto quoque anno instauratur. *Decemprimi* in hac lege dicuntur, qui *decaproti* vocantur in *l. 3. §. 10. l. ult. D. de mun. & honor.* quorumque officium *decaprotia* in *l. ult. §. 26. D. de mun. & honor. l. 8. C. de mun. patrimon. & dec emprimatus* in *l. 1. D. de mun. & hon. nec non in l. 7. l. 8. l. 9. C. Th. de domest. & protect.* appellatur. Erant autem Decemprimi ex decurionum ordine constituti, qui tributorum exactiōni ita præerant, ut si qua detrimenta fiscus defunctorum culpa contraheret, ipsi suis sumtibus resarcirent. *Agonothetæ* dicuntur, qui certamini præerant, & verbum ἀγωνοθετεῖν idem est, quod ludis præsidere in *l. 6. D. de ann. legat.* Solebant enim veteres, aliquem sibi constituere, qui certaminibus ludisque, sive scenicis, sive gladiatoriiis, præsideret, idque munus ad principem in urbe, aut, eo recusante, ad magistratus delatum, ex SUTTON. *Aug. Cap. XIV. & Caligula Cap. XVIII.* discimus. *Thymelici*, interprete ISIDORO *Lib. XVIII. cap. 47.*, sunt musici scenici, qui organis & lyris & citharis præcinebant. Indeque dictos ait, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitem, quod *θημέλη* vocabatur. Eorum etiam fit mentio in *l. 4. D. de his, qui not. inf.* Curia denique hoc loco significat collegium decurionum, quemadmodum & alibi in hoc sensu usurpatur. Confer. BARN. BRISSONIVS de *Verb. Signif.* ad has voces. Sunt & alia exempla pollicitationum. Sic PLINIUS *Lib. VI. Epist. ult. ad Maximum.* Recte fecisti,



cisti, quod gladiatorium munus Veronensibus nostris promissisti. IDEM *Lib. X. Epist. 48. ad Traianum.* Huic teatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur, ut basilicæ circa, ut porticus supra caveam. IDEM *Lib. V. Epist. 12. ad Fabatum.* Accepi litteras tuas, ex quibus cognovi, speciosissimam te porticum sub tuo filiique tui nomine dedicasse; sequenti die in portarum ornatum pecuniam promississe, ut initium novae liberalitatis esset consummatio prioris. IDEM denique *Lib. VII. Epist. 18. ad Caninium.* Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus nostris in epulum obtulisti, post te quoque salva sit. *Honestæ consultatio, non expedita sententia.* Numeres reipublicae summam? Verendum est, ne dilabatur. Des agros? ut publici, negligentur. Equidem nihil commodius invenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum ingenuarumque promiseram, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi: eundem, vectigali imposto, recipi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim et reipublicae fors in tuto, nec reditus incertus, et ager ipse propter id, quod vectigali large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet. Huius pollicitationis a Plinio factae duplex inscriptio invenitur apud GRUTERVM in *Corp. Inscript.* De altera vid. p. MXXXVIII. n. 5. ubi ita legitur: *Mediolani in Ambrosii templo, in tabula, cuius scriptura introrsus posita, marmore aptato ad tumulum, quem vulgo vocant, Reginat ita ut nisi ab iis, qui sepulcrum id ingre-*  
*diant, legi nequeat:*






C. PLINIUS. L. F. OUFE. CÆCILIVS.  
 AUGUR. LEGAT. PROCONS. PR. PROVINCIÆ. PONTICÆ.  
 CONSULARI. POTESTAT. IN. EAM. PROVINCIAM. ET.  
 IMP. CÆSARE. NERVA. TRAIANO. AUG. GERMANICO.  
 CURATOR. ALVEL. TIBERIS. ET RIPARUM. ET.  
 PRÆFECT. ÆRARI. SATURNI. PRÆF. ÆRAR. MIL.  
 QUÆST. IMP. SEVIR. EQVITUM  
 TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICAE.  
 X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS. THER. . . .  
 ADIECTIS. IN. ORNATUM. H-S CCC.  
 AMPLIVS. IN. TUTELA. H-S CC T. F. I. . . .  
 ET. LIBERTORUM. SVORUM. NOMIN. H-S [XVIII.] [LXVI.] DCLVI. REL.  
 INCREMENT....POSTEA. AD. EPVLUM. PLEB. VRBAN. VOLVIT. PERTINERE.  
 AMPLIVS. DEDIT. IN. ALIMENT. PVEROR. ET. PVELLARUM. PLEB. V RB. H-S.  
 . . . IN. TUTELAM. BIBLIOTHECÆ H-S. C. . . . .  
 . . . . .  
 Eiusdem inscriptionis fragmentum, valde tamen mancum, ex-  
 tat apud EUNDEM p. CCCCLIV. 3. 5.

## §. 13.

*Pollicitatio quomodo differat a pacto, donatione & voto?*

Pollicitatio differt tum in genere a pacto, tum in specie a donatione, scilicet pro pacto sumpta, nec non a voto. A pacto quidem differt non solum in eo, quod acceptationem non requirat, vt supra §. 8. vidimus, sed & longe plures sunt differentiae inter pactum & pollicitationem, vti ex sequentibus patebit. Vnde eorum sententiae subscribere non possumus, qui, vt GOTTL. GERH. TITIUS in *Jur. priv. Rom. Germ. lib. IV. c. XIII.*



*c. XIII. & in Obs. ad Lauterb. obs. 1494. JO. TOB. CARRACH in Adnot. ad Bæbmeri Doctr. de Action. (Hal. 1775. 8.) p. 288. alique pollicitationem pacti speciem, & consensu reipublicae aut tacito, aut ficto; niti arbitrantur. Vid. GER. VON STOEKKEEN *Diff. de pollicit. Quæst. II.* Si acceptatio acedit, pactum fieri, nullum dubium est. Conf. dicta §. 7. in fin. Et quamvis pollicitatio sit species donationis, latius nempe pro quolibet liberalitatis actu sumtae, *L. 29. D. de donat.* quo sensu & legatum donatio dicitur a IUSTINIANO in §. 1. *Inst. de legat.* quid? quod pollicitatio etiam donatio in *l. 13. §. 1. D. de pollicitat.* & pollicitans donator in *l. 9. D. eod.* appelletur; magnum tamen intercedit discrimen inter pollicitationem, & donationem strictius & pro pacto sumtam. Vid. GERH. VON STOEKKEEN *Diff. cit. Quæst. III.* & imprimis GER. NOODT de *Fæn. & Vsur. Lib. III. cap. 7. in fin.* Tandem quo modo differat pollicitatio in specie a voto, ex dictis §. 6. facile est ad animadvertendum.*

## §. 14.

*Ufus hodiernus doctrinae de pollicitatione.*

Ante ius Romanum receptum in Germania pollicitationes incognitae fuisse videntur Germanis: sed postquam illud est receptum, pollicitationes quoque ad nos sunt delatae, & in usu esse coeperunt, licet sint rariores, ut testantur, qui de praxi iuris romani in foris nostris scripserunt. Quae quum ita sunt, facile est ad intelligendum, pollicitationes hodie vnice fere ex principiis iuris Romani esse diiudicandas. Vid. SAM. STRYCKII *Vsus Modern. Pandect. hoc tit. 10. SCHILTERI Praxis Jur. Rom. in for.*



for. germ. hoc tit. GEORG. AD. STRVV Syntagm. iur. civ. eod. tit.  
PET. MASCOV Disp. de pollicitat. & voto. §. XXI.

§. 15.

Quis possit polliceri ?

Qui pollicetur, promittit, per notissima iuris scientiae principia. Iam vero, qui promittere vult, in eo requiritur, 1) ut habeat usum rationis, saltem tempore factae promissionis, deinde 2) ut voluntatem suam sufficienter declarare possit per verba aliave signa voluntatis nostrae, & denique 3) ut talis sit, qui se aliis obligare potest: quae tria principia ex ipsa notione promissionis deducuntur. Ergo, qui polliceri vult, ut iisdem gaudeat requisitis, necesse est. Quapropter polliceri quidem possunt *masculi & feminae*, ut *VLPIANVS* ait in *l. 6. §. 2. D. de pollicit.* adeoque & caeci, muti, surdi &c. add. *arg. l. 4. §. 1. D. de pact. l. 48. l. 52. §. pen. D. de O. & A.* & in genere qui mox traditis requisitis instructi sunt: sed contra polliceri nequeunt, qui vno ex hisce requisitis destituuntur. Ex eo sequitur, ut polliceri nequeant, 1) qui usum rationis non habent, saltem tempore factae pollicitationis: ideoque polliceri non possunt a) *furiosi & mente capti* qua tales, add. *arg. §. 8. Inst. de inutil. stip. l. 5. l. 40. D. de R. I.* Quin hi tempore dilucidi intervalli recte polliceantur nullum dubium est. Porro huc pertinent b) *infantes*, add. *arg. §. 9. Inst. de inutil. stip.* c) summe ebrii add. *arg. c. 14. X. de vita & honest. cler.* Ex eodem principio sequitur, ut polliceri nequeant 2) qui voluntatem

tem



tem suam sufficienter declarare non possunt, & denique 3) qui tales sunt, ut se aliis obligare nequeant. Quam ob rem polliceri nequeunt a) *impuberes*, quippe qui sine auctoritate tutorum civiliter sese obligare nequeunt *l. 6. D. de V. O. l. 5. l. 9. de auctor. tutor.* tutor autem non facile auctoritatem suam interponet *arg. l. 16. C. de adm. tut. l. 22. l. 46. D. de donat.* ergo generatim asserere licet, impuberes polliceri non posse; & b) *prodigi civiliter tales*, qui rem quandam polliceri volunt, quia prodigi de rebus suis sine consensu curatoris disponere nequeunt *l. 40. D. de R. I. l. 1. D. de cur. furios.* Sed nec curator prodigi facile consentiet, ergo itidem generatim dici potest, prodigos res suas polliceri haud posse. Ad *minores* quod attinet, de iure romano distinguendum est, utrum curatorem habeant, nec ne. Si prius, pollicitatio vel concernit bona eorum vel minus, seu consistit in simplici facto. Priori in casu *minores* sine consensu curatoris polliceri nequeunt, quia *minores* in negotiis, quae bona concernunt, sine curatoris consensu civiliter se obligare nequeunt *l. 3. C. de integr. restit. min.* Curator autem non facile consensum dabit in pollicitationem minoris *arg. l. 16. C. de administ. tut. l. 22. l. 46. §. ult. D. de donat.* ergo generatim affirmare licet, *minores* hoc casu polliceri haud posse. Posteriori in casu *minores* recte pollicentur, etiam sine consensu curatoris, quia in negotiis mere personalibus *minores* valide se obligare possunt, nec in iis consensu curatoris opus habent *l. 26. C. de administ. tut. l. 101. D. de V. O. l. 43. D. de O. & A. l. 8. C. de nupt.* Cuius rei ratio haec est, quod de iure romano curatores primario rebus &

C

secun-



secundario personis dabantur §. 4. *Inst. qui test. tut. §. 2. Inst. de curat.* Secus vero se res habet, si minores curatorem non habent, (quali iure antiquo, scil. ante Constitutionem M. Aurelii Antonini Imp. cit. §. 2. *Inst. de curat.* non indigebant, bene vero iure novo, nempe post illam Antonini constitutionem indigent), quippe hoc casu recte pollicentur: quoniam tunc civiliter se obligare possunt l. 3. *C. de integr. rest. min.* Sed merito quaeritur, vtrum minor, qui pollicitus est, gaudeat beneficio restitutionis in integrum praetoriae? Quod affirmare nulli dubitamus. Vid. tit. *D. de minor. XXV. ann.* & interpretes ad hunc titulum. Quamvis enim reipublicae ad exemplum minorum concessa sit restitutio in integrum, l. 3. *C. de iure reipubl. l. 4. C. quib. ex caus. mai.* ideoque respublica aequè privilegiata sit hac in causa ac minor, contra aequè privilegiatum vero restitutio in integrum locum non habeat, l. 34. l. 11. §. 6. *D. de minor. XXV. ann.* aliud tamen obtinet, si alter certet de damno vitando, & alter de lucro captando dict. l. 34. *de minor. XXV. ann. l. fin. D. ex quib. caus. mai.* Conf. ZACHAR. HUBERI *Diss. de obligatione puberum ad l. 101. ff. de V. O. in eius Dissertat. iurid. & philolog.* (Franeq. 1703. 4) pag. 369. seqq. Sed iure hodierno minores indistinctè sine consensu curatoris (des Vormundes) polliceri nequeunt. Nam apud nos nulla est differentia inter impuberes & minores, nec inter tutores & curatores aetatis, & curator (der Vormund) aequè principaliter datur personis ac rebus. Vid. de SELCHOW *Elem. iur. germ. priv. bod.* §. 197. & §. 514. Quumque curator minoris (der Vormund) apud nos aequè minus consensum

suum



suum dabit in pollicitationem pupilli (des Unmündigen) ac iure romano tutor in genere, aut curator in specie, in casu, si minor bona esset alienaturus, consentire potest, sequitur, ut hodie minores plauè non possint polliceri. Praeterea notandum, in iis Germaniae territoriis, vbi cura sexus obtinet, ad validitatem pollicitationis, a femina factae, consensum curatoris sexus omnino necessarium esse. Vid. de SELCHOW *Elem. Jur. germ. priv. bod.* §. 519.

## §. 16.

*Vtrum serui et filii familias possint polliceri?*

Servi ex principiis iuris Romani polliceri nequeunt. In servos enim nulla cadit obligatio civilis l. 14. l. 21. *D. de O. & A.* quippe qui iure civili pro nullis habentur. l. 32. *D. de R. I.* Neque manumissi ex sua pollicitatione, quam in servitute fecerunt, tenentur servi, vid. tot. tit. *C. an servus pro suo facto manumiss. teneat.* Secus vero sese res habet, si servus accedente auctoritate domini pollicitus fuerit: quo casu omnino obligatur arg. l. 2. §. 2. *D. de pollicit.* & l. 7. *D. de donat.* quod tamen non ita intelligendum, ac si servus ipse teneatur, sed potius, vt dominus, ex consensu suo interveniente, obstringatur ad pollicitationem, a servo auctoritate sua factam, adimplendam. Vid. LAVTERBACH *in Colleg. theoret. pract. tit. de pollicit. §. IV.* Homines proprii (die Leibeigene) in Germania possunt polliceri, quatenus pollicitatio non tendit in praeiudicium iurium domini (des Leibherrn) in hominem rusticum. Vid. de SELCHOW *Elem. iur. germ. priv. bod.*

C 2

§. 380.




§. 380. *seq.* Filiifamilias vero polliceri possunt. Nam hi civiliter obligantur *l. 57. D. de iudic. l. 39. D. de Obl. ct. Act.* dummodo sint iustae aetatis. Sed filiusfamilias, qui pollicitus est rem quandam, vel habet peculium, de quo saltem inter vivos libere disponere potest, sicque aut peculium militare, aut peculium adventitium irregulare, vel minus. Si prius, etiam stante patria potestate executio fieri potest in hocce peculium filifamilias *l. 3. C. de castrens. pecul. l. 6. C. de bon. quae liber. Nov. 17. c. 1. §. 1. fin* posterius, executio differenda est, usque dum sui iuris factus *l. 5. pr. D. quod cum eo qui in al. potest.* At merito hic quaeri potest, utrum filiusfamilias, qui pollicitus est, si postea emancipatus, aut exheredatus, aut in minima parte institutus esset, vel ab hereditate paterna abstinuisset, gaudeat beneficio competentiae? Quod omnino affirmandum esse arbitramur. Datum est hoc beneficium filifamilias in *l. 2. D. quod cum eo qui in al. pot. add. l. 4. l. 5. eod. tit.* Videtis plura haec de re apud interpretes ad dictum *tit. D. quod cum eo qui in al. pot.* Ceterum si filiusfam. pollicitus fuerit cum consensu patris sui familias, utrumque, & patrem & filiumfamilias, teneri, facile est ad intelligendum *arg. l. 2. §. 2. D. de pollicit. nec non arg. l. 7. pr. §. 1. 2. 3. l. 7. §. 1. & ult. D. de donat.*

### §. 17.

#### *Cui fiat pollicitatio?*

Pollicitationem reipublicae fieri, iam ex ipsa definitione pollicitationis supra §. II. tradita intelligitur: ubi er, quid hic sub



sub reipublicae nomine veniat, a nobis expositum est. Superest tamen, ut videamus, num idem ius quoque in aliis vniuersitatibus personarum obtineat? Equidem de iure romano soli reipublicae polliceri quis potest. Est enim ius singulare reipublicae, pollicitationem ipsi factam obligationem civilem parere, ius singulare autem non producendum esse ad consequentias, tum ex ipsa notione iuris singularis fuit, tum expresse dictum legitur in *l. 14. D. de LL.*, ergo nec hoc ius singulare reipublicae in argumentum trahi potest, ideoque aliis vniuersitatibus, praeter rempublicam, competere nequit. Doctorum vero non est, privilegia iurave singularia concedere, vel ea interpretando porrigere ad species legibus non expressas. Quae quidem, etsi vera immo verissima, sunt tamen haud pauci iuris interpretes, qui pollicitationem etiam aliis vniuersitatibus personarum fieri posse existiment: quam sententiam imprimis tuentur GER. VON STOEKKE in *Diff. de pollicit. Quaest. V. per tot.* et, qui illum simpliciter secutus est, PET. MASCOV in *Disp. de pollicit. & voto. Sect. 1. §. X.* Argumenta, quibus utuntur ad stabilendam suam sententiam, haec sunt. Non adversari, quod passim in legibus reipublicae, civitatum et municipiorum tantum mentio facta reperiat; certum enim esse, sibi persuasum habent, quod iureconsulti potioribus tantum exemplis uti voluerint, nusquam autem dissentim alias vniuersitates excludi. Porro non obstare, quod erubescendum sit iureconsulto sine lege loquenti, *Nov. 18. c. 5.* cum non solum legis sit, quod verbis exprimitur, verum etiam, quod sententia comprehenditur *arg. l. 6. §. 1. D.*



de V. S. et l. 17. D. de LL. Quinimmo, vbi lex deficit, rationem naturalem eius vicem obtinere *arg. l. 7. D. de bon. damnat. l. 13. §. 7. D. de excus. tut.* Hinc vel ideo non apparere, quid impediatur, quo minus ea, quae in civitatum vel municipiorum vtilitatem sunt constituta, in aliis minoribus vniuersitatibus admittamus *arg. l. 64. in fin. D. de condit. et demonstr.* Addunt denique, vniuersitates personarum partem ciuitatum constituere, iam vero, si parti ciuitatis aliquid relictum, quod ad vtilitatem, ornatum vel compendium reipublicae spectat, sine dubio deberi *l. 32. §. fin. D. de legat. I.* Sed ita in interpretando iure singularis versari, ratio iuris singularis non permittit: omne enim ius singulare involvit exceptionem a regula iuris, ergo nec ad casus similes nec ad alias personas, quam iuritu quarum exceptio est facta, extendi potest. Conf. CHRIST. THOMASH *Diff. de interpretatione beneficiorum principis.* Hal. 1701. & in *El. Dissert.* Porro quod in legibus nostris, quae de pollicitatione extant, mentio tantum fiat reipublicae, civitatum & municipiorum, nostram magis confirmat sententiam, pollicitationem nempe non nisi illis fieri posse: quin immo nec verba nec mens legum harum aliud postulant. Quum igitur non deficient leges, quae satis declarant, cui pollicitatio fieri possit, non est, cur ad rationem naturalem confugiamus: quippe qua tunc demum opus est, si leges positivae plane silent. Vid. Perill. NETTELBLADTH *Nova Introd. in iurispr. positio. germanor. commun.* §. 50. Denique a maiori ad minus pariter, ac a parte ad totum, in interpretatione iuris singularis recte concludi nequit. Ita de iure romano. Secus vero



vero est de iure hodierno. Hodie enim in foris Germaniae etiam aliis vniuersitatibus personarum praeter rempublicam fieri posse pollicitationem, eamque validam ac obligatoriam esse, docent ac contendunt iuris interpretes, qui de praxi testari possunt. Conf. CHRIST. CASPARI *Disp. de pollicit.* §. X. GER. von STOEKKE *Diff. de pollicit. quaest. V.* PET. MASCOV *Disp. de pollicit. et voto* §. X. LAVTERBACHII *Colleg. theoret. pract. tit. de pollicit.* §. IV. IVST. MEIERI *Colleg. Argentor. eod. tit.* §. 3. Simile quid obtinet vsu fori in restitutione in integrum reipublicae, ad exemplum minorum concessae per *l. 3. C. de iur. reipubl. cui add. l. 4. C. quib. ex caus. mai.* de qua re vid. interpretes *ad tit. D. de minor. XXV. ann.* & TOB. IAC. REINHARTH *Diff. de restitutione in integrum vniuersitatis.* Erf. 1733.

### §. 18.

#### *Quid in pollicitationem veniat?*

In pollicitatione aliquid promitti, ex definitione pollicitationis (§. II.) manifestum est. Iam vero id, quod promittitur, est vel res, vel factum. Ergo etiam id, quod pollicemur, esse potest vel *res* vel *factum*. Generatim notandum, obiectum pollicitationis 1) eius esse debere indolis, ut & natura & iure a pollicitatore praestari possit, quoniam ad impossibilia non datur obligatio *l. 185. D. de R. I.* Hinc in pollicitationem venire nequeunt res, quae non sunt in rerum natura, aut, quae commercio hominum sunt exemptae *add. arg. §. 1. 2. Inst. de inutil. stipul.* deinde 2) obiectum pollicitationis determinatum esse debe-



re: quia si indeterminatum est, pollicitator praestare potest, quicquid velit, sicque perinde est, ac si nihil promissum sit: *arg. l. 108. D. de V. O. l. 56. §. 3. D. & l. 17. C. mandati.* hinc *pollicitatio indiscreta* (ita ad exemplum pactorum eiusmodi pollicitationem doctrinae causa appellare liceat, cuius obiectum non est determinatum) aequae minus valida est ac pactum indiscretum. Conf. GER. VON STOECKEN *Diss. cit. Quaest. II. §. XIII.* & inprimis CHRIST. THOMASII *Diss. de obligatione ex promissione rei incertae* Hal. 1710. & in *Ei. Dissert. Ad res speciatim quod attinet, in pollicitationem venire possunt res cuiuscunque generis, de quibus liberam habet disponendi facultatem is, qui pollicetur, sive eae sint corporales, sive incorporales, sive mobiles, sive immobiles l. 1. pr. & §. 5. l. 6. §. 1. D. eod.* Porro etiam omnia bona sua, praesentia & futura, polliceri quis potest *arg. l. 35. §. 4. C. de donat.* modo non sit inofficiosa pollicitatio *arg. l. 5. l. 7. C. de inoff. donat.* nam de tali pollicitatione idem observandum, quod circa donationem inofficiosam iuris est. Vid. interpretes *ad tit. D. de donat.* Et iam res aliena in pollicitationem venire potest, eatenus scilicet, ut possit usufructuari *l. 9. §. ult. l. 18. §. ult. D. de donat.* Hic quaestio oriri potest, utrum pollicitans ad evictionem praestandam obligetur? Totam hanc quaestionem ex principiis, quae de evictione a donatore praestanda obtinent, decidendam esse censemus: quae principia, quum egregie exposuerit WILH. LVD. RODOWE in *Diss. de eo quod iustum est circa evictionem in donationibus praestandam.* Gotting. 1778. non est, quod plura addamus. Dissentit quidem PET. MASCOV in *Diss. de pollicitat. et voto. Sect. I. §. XI.* sed frustra: recte enim hac

in



in re argumentamur a donatione ad pollicitationem. Non solum autem res sed & facta obiectum pollicitationis esse possunt, veluti si quis opus reipublicae facturum pollicetur *l. 1. pr. D. eod. Conf. tit. D. de oper. publ.* et interpretes *ad dict. tit. in primis 10. VOET. Comment. ad Pand. hoc tit.* Et sic PAVLVS in *l. 8. D. b. t.* refert, Statum Rufinum quendam promississe, se opus pro scaenii Gabinis exstructurum. Inter ea, quae tum religionis, tum oblectandorum hominum, captandaeque aurae popularis causa, tum in Vrbe, tum in municipiis, inventa & introducta sunt, inprimis theatra ludosque fuisse, monet VALER. MAXIMVS *Memorab. Lib. IV. c. 1. pr.* Vnde & theatrorum voluptates in *l. 5. C. Theod. de spectac.* ut et *spectaculorum gaudia* dicuntur apud CASSIODORVM *Variar. Lib. 1. ep. 7.* Non tantum Aediles, ad quorum munus id proprie pertinebat, vid. CICERO *Verrin. VII. c. 14.* sed & Consules vid. *Nov. 105. c. 1.* et Praetores vid. *l. 5. §. 10. D. Commod. l. 7. D. de man. vind. l. 4. C. Th. de praetor.* quin et ipsi privati, in exstruenda reficiendaque theatra, exhibendosque ludos theatrales, maximas incredibilesque impensas fecerunt, immo integrum patrimonium effuderunt. Vid. CICERO *de Offic. Lib. II. c. 17.* Hinc AMBROSIVS *Offic. Lib. II. c. 21. Prodigium est, popularis favoris gratia exinacivire proprias opes, quod faciunt, qui in ludos theatrales patrimonium dilapidant suum.* Collapsa autem theatra, modo integra, modo per partes, restituta sunt, & inprimis praescaenium. Vid. inscriptiones apud REINESIVM *pag. 298. n. 89.* et apud GRUTERVM *p. 168. n. 10.* Partes theatri variae erant, sed potissimae scaena et pro scaenium. Scaena proprie sic dicta (aliquando enim

D

scaena



scaena et proscenium confunduntur, veluti in *l. 2. §. ult. D. de his qui not. inf.*) locus erat, unde primum actores prodibant, aulaeis fere & peripetasmatis aliove modo tectus, qui ab vno theatri cornu porrigebatur ad alterum. *Proscenium* vero erat pulpiti ante scaenam, in quo ludrica exercebantur, vt scribit *SERVIUS* ad *VIRGIL. Georgic. Lib. II. v. 381.* seu locus patens & liber in fronte scaenae, in quem exhibant actores & histrioniam agebant, vid. *SCIP. GENTILIS Parerg. Lib. I. c. 8.* quod etiam velis & aulaeis regi solebat, quae actoribus prodeuntibus removebantur, vt scilicet aperta scena humi iacerent, sed peracta fabula tollerentur. Vid. *HORATHI Epist. Lib. II. ep. 1. v. 189.* & *CICERO Or. pro Coel. c. 27.* In quo pulpiti erat singulare, agentium & loquentium proprius locus, arae, nec non imagines histrionum & pantomimorum & agitatorum, quibus praemii causa donabantur. Vid. *l. 12. C. Th. de scen.* & *IAC. GOTHOFREDUM ad dict. l. 12. Conf. 10. ORTW. WESTENBERG Divus Marcus diss. XXV. §. V. seqq.* Aliud exemplum eiusmodi pollicitationis habemus in *l. 10. D. h. t.* vbi *MODESTINUS* refert, *Septitiam* quandam certamen patriae suae pollicitam esse. Vid. dicta ad hanc legem §. 12.

**Not.** Opera publica, quae publicis sumptibus fiebant, sine Principis auctoritate fieri non poterant, *l. 3. §. 1. l. 6. D. de oper. publ. l. 5. C. cod.* Privati autem opus publicum suo sumptu facere poterant etiam sine auctoritate Principis, modo non ad aemulationem alterius civitatis pertineret, vel materiam seditionis praerberet, vel circum, theatrum vel amphitheatrum esset *l. 3. pr. D. h. t. conf. JO. FRID. WEIDLERI diss. de usu remedii contra aedificantem ad aemulationem. (Vitenb. 1732.) §. IV.* iisque etiam licebat nomen suum operi isti publico inscribere *l. 2. pr. l. 3. §. 2. D. h. t.*



*D. h. t.* Quodsi opus publicum partim publico, partim privato sumptu factum erat, is, qui privatam sumptum contulerat, ita operi tali nomen suum inscribere poterat, si, quantam summam in id opus contulerit, adscribat *l. 7. §. 1. D. h. t.* Si quis opus publicum alterius privati sumptu factum ex voluntate reipublicae marmoribus aliove modo exornaverat, is manentibus priorum titulis, qui illud opus fecerant, nominis proprii titulum adiacere poterat *d. l. 7. §. 1. D. h. t.* Inscribi autem operi publico nomen alterius quam Principis, aut eius, cuius sumptu opus factum est, non licebat, *l. 3. §. 2. l. 6. D. h. t.* Nec, eraso nomine eius, cuius liberalitate opus exstructum erat, aliorum nomina inscribere licebat, *l. 2. §. 2. l. ult. §. 1. D. h. t.* quemadmodum, nec statuas aliis ponere licebat in opere privato i. e. publico, quod privati sumptu factum erat, invito eo, qui id opus fecerat. *l. 12. pr. D. de pollic. Add. Interpretes ad d. tit. D. de oper. publ.*

### §. 19.

#### *Forma pollicitationis quae?*

Non vero qualis qualis pollicitatio obligationem civilem producit, sed, vt sequentem formam habeat, necesse est. I) Primum nempe requiritur, vt a praesente fiat: quum sit obligatio *arg. l. 3. D. de pollicit.* Non enim absenti recte quis dicitur offerre, sed praesenti *l. 25. D. de pos.* idemque confirmat *l. 9. D. h. t.* vbi *MODESTINUS* ait: *Ex pollicitatione, quam quis ob honorem apud Rempublicam fecit &c.* Verba enim: *apud Rempublicam* satis declarant, pollicitationem fieri debere coram. Proinde non valet pollicitatio ab absente per epistolam facta, *VLPIANUS l. 5. D. h. t. Charidemo respondit. Ex epistula, quam muneris edendi gratia absens quis emisit, compelli eum ad editionem non posse.* Ratio huius responsi nulla alia est, quam quod *Charide-*



mus ille absens per epistolam pollicitus fuerat, edere munus gladiatorium. Vid. IAC. CUIACII *Observ. & Emend. Lib. XXVI. c. 19.* Similis in eo est pollicitatio stipulationi, quippe quae iridem a praesente fieri debet, *l. 1. pr. D. de Verb. Obl. §. 11. Inst. de inut. stipul.* Qua quidem in re, etsi consentientes habemus multos iuris interpretes, e quibus nominasse sufficiat IO. ORTW. WESTENBERG *in Princ. iur. sec. ord. Digest. tit. de pollicit. §. 5.* IO. GOTTL. HEINECCIUM *in Elem. iur. civ. sec. ord. Digest. eod. tit. §. CCCXXXV.* IO. AUG. BACHIUM *in Divo Traiano (Lipf. 1747. 8.) p. 205.* sunt tamen, qui aliter sentiant, ut inprimis CORN. VAN WYNKERSHOEK *in Observ. Iur. rom. Lib. VI. cap. 13.* qui etiam per epistolam ab absente missam reipublicae recte promitti posse existimat. Qui ita statuunt, putant, in dicta *l. 5. D. b. t.* pollicitationem validam non esse ideo, quoniam Iureconsultus nullam causam edendi muneris reddat. Sed vereor, ut, quia VLPIANUS ibi rationem sententiae suae hanc edit, quod per epistolam absens pollicitus sit Charidemus, satis subtiliter atque legitime rationes collegisse suas videatur. Ineptum est, quod ANDR. ALCIATUS *Parerg. Lib. XII. c. 9.* & ex eo RUSSARDUS *ad. d. l. 5.* dicunt, promissorem in *d. l.* non obligari propterea, quia turpe esset & inhonestum munus gladiatorium: constat enim satis superque, non solum permisos fuisse gladiatores, sed & fortitudines tunc temporis aestimatos fomites. Dubitatur de usu hodierno huius requisiti. Sunt, qui id hodie non observari existiment, veluti GE. AD. STRVV *in Decis. Sabbath. Dec. V. c. 1.* GODOFR. LUD. MENCKEN *de Action. forens. Sect. II. Cap. II. Membr. 1. §. 6.*

Sed



Sed sine solido fundamento, vid. dicta §. 14. quibus add. STRYCKII *Vsus Mod. tit. de pollic. §. 1.* HENR. de BERGER *Oecon. iur. Lib. III. tit. 1. tb. 5. n. 3.* II) Deinde necesse est, ut pollicitatio fiat ex iusta causa. VLPIANUS *l. 1. §. 1. D. b. t.* hac de re ita ait: *Non semper autem obligari eum qui pollicitus est, sciendum est: si quidem ob honorem promiserit, decretum sibi, vel decernendum, vel ob aliam iustam causam, tenebitur ex pollicitatione: sin vero sine causa promiserit, non erit obligatus, & ita multis Constitutionibus & veteribus & novis continetur.* Add. *d. l. 1. §. 5. l. 3. pr. l. 4. l. 6. l. 7. l. 9. D. eod.* Causa hoc loco denotat id, quod nos impulit, quae Philosophis causa impulsiva dicitur, sicque est ratio movens voluntatis a pollicitatore expressa: quo sensu vocabulum causae, alias *πολύσημον*, occurrit inter adiectiones negotiis forensibus fieri solitas, de quibus vid. Perill. NETTELBLADTII *Nov. Introd. in iurispr. pos. germ. comm. §. 513. seqq.* Iusta autem causa vocatur, quae rationem habet sufficientem. Cuius generis est, 1) si quis, ob honorem suum vel alienum, aut magistratum sibi decretum vel decernendum, aliquid promiserit *l. 1. §. 1. l. 3. pr. l. 9. l. 11.* (quam legem egregie illustrat H. G. von VRYHOFF *in Observ. Iur. civ. Cap. XXIV.*) *l. 13. D. b. t. add. l. 16. §. 1. D. de mun. & hon.* Elegans eiusmodi pollicitationis exemplum est apud GRUTERUM *in Corp. Inscr. pag. 400. n. 7.*

F. DECIMIUS. P. L. EKOS.  
MERULA. MEDICUS  
CLINICUS. CHIRURGUS  
OCULARIUS. VI. VIR.





HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT.

H.S. 1000

HIC. PRO. SEVIRATV. IN REM. P.

DEDIT. HS. ∞ ∞

Vel, 2) si quis ad eam liberalitatem commotus sit, quod civitas grauiorem aliquem casum, incendium scilicet, terrae motum, ruinam vel similia passa sit *l. 4. l. 7. D. eod.* Quod tamen hac exceptione solutum est, vt, tamen quis sine iusta causa pollicitus sit, tamen obligetur, si promissionem suam implere coeperit. *VLPIANUS in l. 1. §. 2. D. h. t.* ita scribit: *Item si sine causa promiserit, coeperit tamen facere, obligatus est qui coepit.* add. *l. 3. pr. D. eod.* Quando vero quis coepisse censeatur, explicatur in *l. 1. §. 3. 4. 5. D. eod.* *Coepisse sic accipimus, si fundamenta iecit, vel locum purgavit. Sed & si locus illi petenti destinatus est, magis est, vt coepisse videatur. Item si apparatus, sive impensam in publico posuit. Sed si non ipse coepit, sed, cum certam pecuniam promississet ad opus Reipublicae, contemplatione pecuniae coepit opus facere, tenebitur quasi coepto opere. Denique cum columnas quidam promississet, Imperator noster cum Divo patre suo ita rescripsit. Qui non ex causa pecuniam Reipublicae pollicentur, liberalitatem perficere non coguntur: sed si columnas Citicnsibus promississet, & opus ea ratione sumptibus civitatis, vel privatorum inchoatum est, deseri quod gestum est, non oportet.* Et in *l. 6. §. 1. D. h. t.* *MODESTINUS* ita scribit: *Si quis pecuniam ob honorem promiserit, coeperitque solvere, eum debere quasi coepto opere, Imperator noster Antoninus rescripsit.* Add. *l. 16. §. 1. D. de mun. & bon. Ce*  
 terum



terum ratio huius secundi requisiti haec est, vt inde intelligi possit, promissum fuisse serium ac deliberatum.

Not. 1. Quamvis pollicitatio, quae sit ob honorem consequendum, ambitus crimine carere non videatur, aliud tamen est, polliceri reipublicae & incidere in crimen ambitus. Vid. *tit. D. de Lege Iulia ambitus*, ibidemque interpretes, nec non *PET. MASCOVII Disp. de pollicit. & vot. Sect. 1. §. XXII.* & *Perill. KOCHII Instit. Iur. crim. §. DCXL.*

Not. 2. Pollicitationem spontaneam esse debere, ex ipsa notione pollicitationis supra §. II. tradita prorsus alveo fluit, cui add. *l. 8. D. h. t.* Quod si ergo respublica alicui necessitatem imposuerit, v. gr. statuum principi ponendam, qui eam ultro non promississet, non necesse esse ei obtemperare, rescriptis Imperatorum constitutum fuisse, docet *VLPIANUS in l. 6. §. ult. D. h. t.* Ex quo porro sequitur, vt pollicitatio vi metuque extorta nulla sit. Vid. *tit. D. quod met. caus. gest. & interpretes ad dict. tit.*

Not. 3. Quaeri hic etiam potest, an, quemadmodum donatio summam D. solidorum excedens insinuatione iudiciali indiget per *l. 36. §. ult. C. de donat.* ita etiam pollicitatio ultra praedictam summam facta, actis debeat insinuari? Id quod negandum esse putamus, quia illud singulare ius est in donationibus, quae sunt inter vivos, proptereaque ad alia negotia porrigi nequit & praeterea nulla lex reperitur, quae insinuationem pollicitationis immodicae requirat. Vid. plura de hac re apud *GER. von STOECKEN in Diss. de pollicit. Quaest. III. §. XXVII. seq.* Contrarium tamen statuit *CHRISTOPH. CASPAR in Diss. de pollicit. §. XII.* sed falso.

### §. 20.


*Pollicitatio an pure vel non pure fiat?*

Quemadmodum aliquid vel pure, id est, sine omni adiectione, vel non pure, seu ita, vt adiectionem quandam habeat, sicque vel sub conditione, vel sub die, vel sub modo, vel sub causa, promitti potest: ita etiam pollicitatio vel pure vel non pure & quidem



quidem vel sub conditione vel sub die vel sub modo vel sub causa fieri potest. Elegans exemplum pollicitationis conditionalis habemus in *l. 10. D. b. t.* ubi legimus, Septiciam certamen patriae suae pollicitam esse sub conditione, *ut fors apud eam remaneret, & ipsa usuras semissales ad praemia certantium resolveret* i. e. senos aureos in centenos quotannis solveret, ea etiam lege, *ut certamini vir, & eo mortuo, liberi ex ea nati praesiderent.* Debet tamen pollicitans pollicitationi tales adiacere conditiones, quae reipublicae viles aut ad minimum non damnosae sunt: si enim sint damnosae reipublicae, pro non adiectis habentur, & perinde est, ac si pure pollicitatio facta fuisset. PAPIRIUS IUSTUS in *l. 13. §. 1. D. b. t.* *Item rescripserunt* (scil. Imperatores Antoninus & Verus Augusti) *condiciones donationibus adpositas, quae in Rempublicam fiunt, ita demum ratas esse, si utilitatis publicae interest: quod si damnosae sint, observari non debere: & ideo non observandum, quod defunctus certa summa legata, vetuit vectigal exerceri: esse enim tolerabilia, quae vetus consuetudo comprobat.* Hinc MODESTINUS in *l. 12. §. 1. D. b. t.* *Cum quidam, ne honoribus fungeretur, opus promississet: honores subire cogendum, quam operis instructionem, Divus Antoninus rescripsit.* Ita legitur in Florentina editione Pandectarum. Norica & Vulgata editio, ut & codex Rehdigeranus exhibent: *tam honores subire &c.* *Instructio* hic sumitur pro fabricatione vel structura. GOTHOFREDUS in *not. ad. b. l.* existimat, particulae *quam* praeponendam vocem *potius*, ut sensus hic sit: eum, qui opus promisit, ne honoribus fungeretur, honorem

potius



potius subire cogendum, quam ad operis instructionem, atque ita is, qui hoc modo pollicitus est, opus perficere omnino non tenetur. Nos vero existimamus bene sese habere lectionem Etruscam & particulam *quam* hic poni pro *tam, quam*: sicque sensus legis hic est: eum, qui opus promisit, ne honoribus fungatur, tam ad honores subeundos, quam ad operis extructionem, cogendum esse, quia reipublicae damnosum erat, munus detrectare. Vid. *tit. D. de mun. & honor.* ibique interpretes. Et ita quoque glossa habet ad *dist. 1. 12. §. 1. D. b. t.* Aliud obtinet in pactis & speciatim in donationibus. Talis enim conditio plane vitiat conventionem, in pollicitationibus autem vitiatur conditio. Quaerunt de ratione discriminis. Nos favorem reipublicae rationem huius iuris recte dici putamus: siquidem tota pollicitatio rationem habet iuris singularis, vid. PET. MASCOV *Disp. de pollicit.* & *not. Sect. I. §. XII.* Dissentit LAUTERBACH in *Colleg. theor. pract. tit. de pollicit. §. VI.* hanc rationem reddens, quod nulla eius culpa interveniat, cui pollicitatio facta, non enim consentire in pollicitationem, ergo nec in adiectam conditionem, uti fit in conventionem: idemque obtinere in ultimis voluntatibus, quia heredis & legatarii nulla esset culpa, cur talis conditio sit adiecta. Sed nobis haec philosophia non placet. Ceterum de conditione in pollicitationibus, ut & de modo, ac demonstratione, iis apposita, eadem observanda sunt, quae de hisce adiectionibus in negotiis forensibus generatim valent, de quibus conf. PERILL. NETTELBLADTH *Nova Introd. in iurisp. posit. germ. comm. §. 573. seq.* Idemque confirmat *l. 10. D. b. t.* ubi in fine haec verba le-

E

gimus



gimus: *Quaero, an possunt iniuriam pati filii Septiciae, quo minus ipsi praesiderent certamini, secundum verba condicionemque pollicitationis? Herennius Modestinus respondit, quo casu certaminis editio licita est, formam pollicitationi datam servandam esse.* Sciendum est, non privato cuique collibuisse, quaecunque edere spectacula, vid. EVER. OTTO *de Aedilibus Colon. & Municip. pag. 399.* Sed quid, si de cetero impossibilis conditio, natura vel iure talis, pollicitationi adiecta, num vitiat pollicitationem, an vero ipsa vitatur, & pro non adiecta habetur? & prius affirmare nulli dubitamus *arg. l. 1. §. 11. D. de O. & A. l. 7. l. 31. l. 35. D. de V. O. §. 10. Inst. de inutil. stip.* posterius defendunt CHRISTOPH. CASPAR *in Disp. de pollicit. §. XV.* nec non PET. MASCOV *in Disp. de pollicit. & vot. §. XII.* idque ob favorem reipublicae, cuius intuitu pollicitationes iure civili valere coeperint. Enimvero favor, quo hac in causa vitur respublica, non extendendus est ultra rationem suam. De causa denique in pollicitationibus idem quidem dicendum est, quod de causa in negotiis forensibus generatim iuris est, de quo vid. PERILL. NETTELBLADT *c. l.* attamen singulare est, quod ratione iustae causae obtinet, quam in interponenda pollicitatione intercedere debere, supra §. 18. diximus.

#### §. 21.

##### *Effectus pollicitationis,*

##### a) *respectu pollicitantis*

Ex huiusmodi pollicitatione, qualem haecenus descripsimus, oritur obligatio pollicitantis erga rempublicam, cui pollicitatio facta est, ad praestandum id, quod promissum est: cui obli-



obligationi respondet ius reipublicae, cui pollicitatio facta, in personam pollicitantis, ut praestet, quod promittit: id quod luculenter apparet ex plerisque textibus tit. D. de pollicit. in specie ex *l. 3. pr. D. eod.* vbi notes, particulam *quasi* non improprietatem & fictionem, uti alias saepe, sed veritatem significare. Vid. BARN. BRISSONIUS *de Verb. Signif.* in hac voce. Add. *l. 6. §. 1. D. de mun. & hon.* Ipsa autem persona pollicitantis obligatur, non vero res promissa afficitur, nec ius in re per pollicitationem constituitur *arg. l. 2. D. b. t.* Quemadmodum in donatione dominium traditione demum in donatarium transit, (nisi donatio sit coniuncta cum traditione, quae *realis* commode vocari solet, ut discernatur ab illa, quae sola promissione fit, quaeque ideo *promissoria* audit,) ita & in pollicitatione dominium traditione secuta demum transfertur, nisi simul res promissa tradita fuerit: atque hoc fit vel vera traditione, si pecunia promissa, vel assignatione, sin opus promissum *l. 1. §. ult. D. b. t.* Hinc VLPPIANUS in *l. 3. D. b. t. in fin.* ait: *sed & si desierint municipes possidere, dicendum erit, actionem eis* (scil. municipibus) *concedendam.* Pollicitatio semel rite facta revocari non potest. Clare id docet VLPPIANUS in *d. l. 3. §. 1. D. b. t.* vbi haec legimus: *Si quis, quam ex pollicitatione tradiderat rem municipibus, vindicare velit, repellendus est a petitione: aequissimum est enim, huiusmodi voluntates in civitates collatas poenitentia non revocari.* In quo magna cernitur differentia inter pollicitationem & donationem. Conf. GER. VON STOEKKE *Diff. de pollicit. Quaest. V. §. XXXVI.* Porro pollicitator praestare tenetur praecise id, quod



promisit, sicque dare aut facere, ad quod dandum aut faciendum pollicitando sese obligavit: quia aliud pro alio invito creditori solvi nequit, quamvis sit obligatio faciendi, ex sententia l. 2. §. 1. *D. de reb. cred.* qua de re consuli meretur CHRIST. THOMASII *Diss. an promissor facti liberetur praestando id quod inter: est?* Hal. 1721. & in *EIUS Dissert.* Neque pollicitans aliud, quam quod pollicitus est, praestare tenetur: quemadmodum enim vniversi iuris est, debitorem ad aliud, quam quod promisit, praestandum compelli non posse: ita illud quoque in pollicitatione obtinet. Idem comprobatur l. 13. *pr. D. b. t.* vbi PAPIRIUS IUSTUS sic scribit: *Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt, opera exstruere debere eos, qui pro honore polliciti sunt, non pecunias pro his inferri cogi.* Denique pollicitator ordinarie, uti quilibet debitor, solidum, quod promisit, praestare tenetur. Audiamus MODESTINUM in l. 9. *D. b. t.* hac de re ita dicentem: *Ex pollicitatione, quam quis ob honorem apud Rempublicam fecit, ipsum quidem omnimodo in solidum teneri Divi Severus & Antonius rescripserunt.* Quod si tamen facultatibus lapsus sit pollicitator, oblata quinta parte patrimonii liberatur. Sic enim legimus in fine *dist. l. 9. D. b. t.*: *sed & ipsum donatorem pauperem factum, ex promissione operis coepti quintam partem patrimonii sui debere, Divus Pius constituit.* Ceterum pollicitator non liberatur ab obligatione sua, quamvis post pollicitationem factam relegatus sit. Quam in rem extat illustre rescriptum Divorum Fratrum, quod ex ULPIANI libro III. de Officio Consulibus relatum est in l. 8. *D. b. t.* & ita se habet: *Probe faciet Staius Rufinus, si opus proscaemii, quod se*  
Gabi-



*Gabinis exstruendum promisit, quod tandem aggressus fuerat, perficiat: nam etsi adversa fortuna usus, in triennio a praefecto urbis relegatus esset, tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuire non debet, cum & absens per amicum perficere istud opus possit.* Scilicet excusabat se Staius Rufinus, quo minus in perficiendo proscaenio pergeret, quod se Gabinis exstruendum promiserat, eo, quod adversa fortuna usus in triennio a Praefecto Vrbi relegatus esset. *Fortunam, quam Deam fecere Romani, in omni re dominari, rerumque humanarum dominam esse, crediderunt antiqui.* CICERO *pro Marcell.* c. II. PLINEIUS *Lib. II. c. 7.* *Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit: siue prospera essent, quae bonae, siue adversa, quae malae fortunae adscribebantur, cui templum consecratum fuisse in Esquilino, antiquitas tradit.* Qua adversa Fortuna se usum, querebatur Staius Rufinus: quemadmodum de Cimone ait CORNELIUS NEPOS in *Cimon.* c. 5. *Eodem die pari fortuna in terris usus est.* Vt & HORATIUS *Ep. V. v. 12.*

*Quo mihi fortunas si non conceditur uti?*

Nec non SCAEVOLA in l. 75. *D. ad Scf. Trebell.* Neque sine ratione querebatur, se adversa fortuna usum, cum a Praefecto Vrbi relegatus esset in triennio. *Relegatos AELIUS GALLUS apud FESTUM definit, quibus ignominiae aut poenae causa necesse est, ab vrbe Roma aliove loco abesse, lege, Senatusque consulto aut Edicto magistratuum.* Quae poena *relegationis*, si accurate loquamur, diversa erat a poena *deportationis*. Relegatio enim fere




fiebat ad tempus, *deportatio* vero (quae in locum aquae & ignis interdictionis successit *l. 2. §. 1. D. de poen. l. 3. D. ad L. Iul. pecul. l. pen. §. 3. D. de extr. cogn.*) in perpetuum. *l. 18. pr. D. de interd. & relig.* Relegatum bona sequebantur, deportatum non item *l. 4. l. 7. l. 14. §. 1. D. de interd. & releg.* Vid. ISIDOR. *Orig. Lib. V. c. 27.* Sed hae differentiae non fuerunt perpetuae. Nam & relegatio aliquando facta in perpetuum, *l. 7. §. 2. 3. D. de interd. & relig. l. 4. l. 28. §. 1. D. de poen.* & relegatis bona quandoque vel omnia vel pro parte ademta sunt, *l. 1. pr. D. si pend. appell. l. u. §. 3. D. Ad. Leg. Falc. l. 38. §. 5. 8. D. de poen.* licet id de iure tum demum fieret, si relegatio in perpetuum facta esset, *l. 5. iunct. l. 7. §. 4. D. de interd. & relig.* Certissima differentia inter relegationem & deportationem fuit, quod relegatio fiebat salva civitate Romana, ac proinde relegati patriam potestatem, testamenti factionem, & omnia omnino iura sua & bona, praeterquam, si quae eis ademta erant, retinebant, tantum insula eis egredi non licebat, cuius vinculo quodammodo continebantur. *l. 4. l. 7. §. 3. D. de interd. & relig.* *deportatio* vero adimit civitatem Romanam, omniaque quae sunt iuris civilis *l. 6. pr. D. de interd. & releg. l. 2. D. de publ. iud. l. 17. §. 1. D. de poen.* quae *ἔξοχὴν* exilium dicitur PAULO in *d. l. 2. §. 1. D. de publ. iud.* Quam differentiam accurate & eleganter exhibet OVIDIVS *Trist. Lib. V. Eleg. 2. v. 15.* dum ait:

*Nec vitam, nec opes, nec ius mihi civis ademit.*

Add. *v. 21.* nec non *Trist. Lib. II. v. 135. & seqq.* ut & in primis *Trist. Lib. II. v. 56. & seqq.* ubi ita canit:


Nec



*Nec mihi ius civis, nec mihi nomen abest.*  
*Nec mea concessa est aliis fortuna, nec exul*  
*Edicti verbis nominor ipse tui.*

Neque turbat, quod Stadius Rufinus paulo post in eodem hoc nostro rescripto *in exilium* profecturus dicitur. Exilium enim modo strictius pro deportatione, *d. l. 2. D. de publ. iud.* modo latius pro relegatione, *l. 4. pr. D. si quis caut. l. 4. D. de extr. crim.* quemadmodum & ipsa relegatio aliquando pro deportatione, ponitur, *l. 7. pr. & §. 1. D. de interd. & relig.* Relegatus autem erat Stadius Rufinus a Praefecto Vrbi. Praefecto enim Vrbi iurisdictio competeat non tantum civilis, uti hodie vocari solet, sed & criminalis, & nominatim relegandi deportandique in insulam, quam Imperator assignaverit, potestas *l. 1. §. 3. D. Off. Praef. Urb.* intra urbem & centesimum ab vrbe lapidem, *d. l. 1. pr. & §. 1. D. h. t.* Mirum igitur non est, Stadium Rufinum ex oppido Gabino, quod intra centesimum lapidem situm erat, ut supra §. II. monuimus, a Praefecto Vrbi relegari potuisse. Relegatus erat in triennio. Relegatio enim plerumque, ut ante diximus, fiebat ad tempus, non in perpetuum. Sive autem *in triennio* dicitur, ut in Codice Florentino, nec non Rehdigerano legitur, sive *in triennium*, ut in Haloandrina habetur, nihil interest; antiqui enim *τὸ ἐν*, modo accusativo, modo ablativo iunxerunt, sive morum significat, sive quietem. Sic enim PAULUS in *l. 25. §. 4. D. sol. matrim. & l. 24. §. 2. D. loc. cond. fundum in quinquennio locatum* dicit, quem ULPIANVS *in quinquennium locatum* ait in *l. 9. §. 1. D. loc. cond.* Sic & relegatio

in



*in insulam* fieri dicitur *l. 4. l. 5. l. 7. §. 1. D. de interd. & releg.* quam tamen *insulis & in insulas*, ex antiqua pronuntiatione factam docet VLPPIANUS *d. l. 7. §. 17. D. nod.* apud alios optimi commatis auctores eiusmodi locutionum multa copia est. Sic *in possessionem esse*, dixit CICERO, *in mentem esse*, PLAVT. apud GELLIVM *Lib. I. Noct. Attic. Cap. 7.* Plura exempla congeffit PHILIPP. PAREVS in *Lexico Plaut.* hac voce. Et sane iniquum plane effer, excusationem ob causam relegationis admittere, *cum & absens* (vbi subiiciunt Impp.) *per amicum perficere id opus possit.* Licet enim opus faciendum non semper per alium perfici possit, eo quod inter artifices multa sit differentia, *l. 31. pr. D. de solut.* non tamen illud hic applicari potest, nam *d. l. 31.* loquitur de *artifice*, qui opus faciendum promittit, & quidem ita, vt suis operis perficiat: quo casu dicta ratio demum locum habet. Caeteroquin id, quod promissum vel praestandum est, per alios etiam, maxime in casu absentiae, fieri posse, tum ex hoc loco, tum ex *l. 1. pr. D. de off. eius, cui mand. est iurisd. l. 5. §. 3. D. de admin. tut.* manifestum est. Conf. IO. ORTW. WESTENBERG *Divus Marcus Dissert. XXV. §. IX. & seqq.*

§. 22.

*Effectus pollicitationis*

b) *respectu heredum pollicitantis.*

Quamquam vero iure civili, quod a defuncto debetur, id heres quoque praestare teneatur: tamen in hoc de pollicitationibus




nibus loco id nonnunquam fallit. Videamus igitur, an & quatenus heredes obligentur ex pollicitatione a defuncto facta. Ad quam quaestionem ante omnia ita distingui debet: videlicet vel defunctus factum nudum seu personale, i. e. cum erogatione bonorum non coniunctum, vel rem aut factum qualificatum, id est, coniunctum cum erogatione quadam bonorum, promittit. In primo casu heredes non obligantur *arg. l. 2. D. de pollicit.*, quoniam ea, quae in facto personae consistunt, ad heredes non transeunt, *l. 8. §. 3. D. de liber. leg.* In secundo casu, vel hereditas sufficit liberalitati defuncti soluendae, vel minus. Si prius, heredes in solidum tenentur, sicque servatur regula; si vero posterius, iterum distingue; nimirum vel ob honorem defunctus pollicitus est, vel ob aliam causam. In priori casu, vel defunctus honorem iam adiit, vel non, seu antequam adiit decessit. Si illud, heredes in solidum tenentur; hoc ius primus constituisse videtur Imp. Traianus, vti memoriae prodidit POMPONIUS in *l. 14. pr. D. b. t.* (quam legem, inter leges de pollicitationibus extantes, aetate primam esse, admodum probabile est). Verba legis huc spectantia haec sunt: *Si quis sui, alienive honoris causa, opus facturum se in aliqua ciuitate promiserit: ad perficiendum tam ipse, quam heres eius, (& quidem in solidum, vti ex sequenti POMPONII oratione patet,) ex Constitutione Divi Traiani obligatus est.* Idem docent VLPPIANUS & MODESTINUS. Ille in *l. 6. pr. D. b. t.* vbi ait: *Totiens locum habet deminutio pollicitationis in persona heredis, quotiens non est pollicitatio ob honorem facta: ceterum si ob honorem facta sit, aeris*



alieni loco habetur, & in heredum persona non minuitur. Hic vero in l. 9. pr. D. b. t. dicit: *Ex pollicitatione, quam quis ob honorem apud Rempublicam fecit, ipsam quidem omnimodo in solidum teneri: heredem vero eius ob honorem quidem facta promissione in solidum — — teneri, Divi Severus & Antonius rescripserunt.* Si hoc, vel defunctus opus promissum inchoavit, vel minus. In primo casu, aut heredes opus coeptum perficere tenentur, aut, si liberi sunt (sub quo nomine hic ex rescripto Imp. Ant. Pii nepotem etiam ex filia contineri, Ulpianus auctor est in l. ult. D. b. t. quum hi alias regulariter in numero liberorum non habeantur,) decimam hereditatis partem, si extranei, (quales hic vocantur, qui liberi non sunt,) quintam præstare obstringuntur. Et de hac specie agere videtur Pomponius in altera parte d. l. 14. D. b. t. dum ait: *Sed si quis ob honorem opus facturum se civitate* (Gothofr. in nota haber: scil. *in civitate.* (Sic Hal. & ita quoque Vulgat. ut & Rehd.) *aliqua promiserit, atque inchoaverit, & prius quam perficeret, decesserit* (Sic Vulg. Hal. nec non Rehd. & recte quidem. In Flor. legitur: *discesserit*): *heres eius extraneus quidem necesse habet aut perficere id, aut partem quintam patrimonii relictæ sibi ab eo, qui id opus facere instituerat, si ita mallet, civitati, in qua id opus fieri coeptum est, dare: is autem, qui ex numero liberorum est, si heres existit, non quintæ partis, sed decimæ concedendæ necessitate adficitur: & hæc Divus Antoninus* (scil. Pius.) *constituit.* Verba: *si ita mallet*, ad heredem referenda esse, docet totius loci verborumque continuatio. Atque ita quidem


tres



tres dictas illas leges nimirum l. 6. pr. l. 9. pr. & l. 14. D. b. t. intelligendas conciliandasque esse putamus. In secundo casu, heredes, non tenentur omnino, de quo exstat l. u. D. b. t. vbi. MODESTINVS ita scribit: *si quis ob honorem vel sacerdotium pecuniam promiserit, & antequam, honorem vel magistratum ineat, decedet* (sic in codice Flor., melius in Haloand. ac Vulgat. edit. *decadat*): *non oportere heredes eius conveniri in pecuniam, quam is ob honorem vel magistratum promiserat, Principalibus Constitutionibus cavetur: nisi forte ab eo, vel ab ipsa Republica, eo vivo opus fecerit inchoatum.* Conf. ad hanc legem H. G. VRYHOFF *Observat. Jur. civ. Cap. XXIV.* In posteriori casu, nempe si ob aliam causam, quam propter honorem, defunctus promiserit, liberi in decimam, extranei in quintam partem hereditatis tenentur. Audi MODESTINVM in l. 9. D. b. t. hac de re ita dicentem: *Heredem vero eius* (scil. pollicitantis), *ob honorem quidem facta promissione in solidum, ob id vero, quod opus promissum coeptum est, se bona liberalitati solvendo* (Gothofr. in nota: *solvendæ.* Hal.) *non fuerint, extraneam heredem in quintam partem patrimonii defuncti, liberos in decimam teneri, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.* Conf. CHRISTOPH. CASPAR *Diss. de pollicit. §. XX.* PET. MASCOV *Diss. de pollicit. & vot. Sect. I. §. XVII.* IO. VOETII *Coment. ad Pand. tit. de pollicit. n. 3.* LAVTERBACH *Colleg. theor. pract. eod. tit. §. VII.* In rationem diuersitatis, cur nimirum pollicitator pauper factus, datione quintæ, aut decimæ partis patrimonii, habita nempe ratione qualitatis heredum, a pollicitatione libe-

F 2

retur,




retur, quum tamen donator, si ad inopiam redactus sit, non teneatur, nisi in quantum facere potest, inquirunt CHPH. CASPAR in *Disp. de pollicit.* §. XXI. & GER. von STOEKKE in *Diff. de pollicit. Quaest. III. §. XXXIII. seqq.* Ceterum ea, quæ de obligatione heredum ex pollicitatione defuncti secundum legum placita, quas super hac re habemus, exposuimus, supponunt, 1) heredem hereditatem pollicitatoris sibi delatam, acquisivisse, neque adeo eam omisisse: est enim effectus acquisitæ hereditatis defuncti pollicitantis: si ergo heres hereditatem pollicitantis sibi delatam repudiaverit, aut ab ea abstinuerit, omnino non tenetur, vid. *tit. D. ad acquir. vel omitt. hered.* & interpretes *ad dict. tit.* 2) nec heredem hereditatem pollicitantis cum beneficio inventarii adiisse, si enim secus, in hac causa, ut vniuersè, ultra vires hereditatis non tenetur *l. ult. C. de iure deliber.*

§. 23.

*Vtrum usuræ debeantur in pollicitatione?*

Quamvis regulariter in pollicitatione usuræ non debeantur, tamen debentur, si mora facta sit. ULPIANVS hanc quaestionem tractat in *l. 1. pr. D. de pollicit.* *Si pollicitus quis fuerit reipublicæ*, inquit, *opus se facturum, vel pecuniam daturum, in usuras non conveniatur, sed, si moram coeperit facere, usuræ accedunt, ut Imperator noster cum Divo patre suo (i. e. Impp. Severus & Antoninus Caracalla) rescripsit.* Sed dignum est quæ-

ri,



ri, quando mora in pollicitatione fieri censeatur? Distinguendo res est decidenda. Aut enim pollicitator certum præfinit tempus, quo se opus facturum pollicitus est, aut nullum determinavit tempus. In priori casu, si intra definitum tempus non fecerit opus, semisses usuras protinus solvere tenebitur tum ipse pollicitator, tum quoque eius heres, nisi deposuerit pecuniam intra tempus definitum: posteriori in casu a Præside tempus statuitur, intra quod si vel ipse promissor, vel heres eius, opus facere neglexerunt, usuras leviores intra sex menses, id est, usque ad tertiam centesimæ seu quatuor in centum pendunt; hoc tempore vero præterito, nec dum opere perfecto, usuras semisses soluere cogentur. *arg. l. 5. pr. D. de oper. publ. l. 17. §. ult. D. de usur.* Vid. GER. NOODT *de Foen. & Usur. Lib. I. c. II.* CHPH. CASPARI *Disp. de pollicit. §. XIX.* PÉT. MASCOV *Disp. de pollicit. & vot. §. XVII.*

Not. *L. 16. pr. D. usur.* quam vulgo ab interpretibus hic probationis gratia allegatam reperies, huc non pertinet: sed loquitur de vera donatione in rem publicam collata. Vid. GER. NOODT *de Foen. & Usur. Lib. III. Cap. VII. in fin.* Hoc verum quidem est, dicta de usuris in pollicitatione, argumento ducto a donatione ad pollicitationem, confirmari posse: quam in rem conferri meretur CHR. HENR. BREUNINGII *Disp. de usuris ex mora in donatione.* Lips. 1767. & GOTTL. EUS. OELTZE *an & quatenus usuræ ex mora a quantitatis donatore exigi possint?* Jen. 1765. 4.

F 3

§. 24.





## §. 24.


*Acquisitio, amissio, conservatio & persecutio iurium & obligationum ex pollicitatione.*

I) Iura & obligationes ex pollicitatione acquiruntur per solam promissionem reipublicæ, dummodo legitime facta sit. Id quod patet ex definitione pollicitationis §. 11. tradita & iis, quæ in antecedentibus de pollicitatione in se spectata diximus. II) Amissio iurium & obligationum ex pollicitatione fit non tantum modis generalibus amitrendi iura & obligationes, de quibus confer. Perill. NETTELBLADTII *Nova Introd. in iurispr. pos. germ. comm.* §. 761. *seqq.* sed & in specie per paupertatem pollicitoris, prout supra §. 21. a nobis expositum est. III) Modi generales, quibus iura conservantur & obligationes corroborantur, de quibus vid. Perill. NETTELBLADT *Nova Introd. in iurispr. pos. germ. comm.* §. 675. *seqq.* & §. 796. *seqq.* sunt etiam modi conservandi iura & corroborandi obligationes ex pollicitatione. IV) Persecutio iurium ex pollicitatione autem fit per actionem ex pollicitatione, de qua adhuc speciatim agendum.


## §. 25.

*Actio ex pollicitatione.*

*Actio ex pollicitatione* est actio personalis, quæ datur reipublicæ aduersus pollicitatorem ad præstandum promissum. Est itaque 1) actio personalis, nascitur enim ex iure ad rem, *arg.*



*arg. l. 2. D. de pollicit.* & quidem a) dativa, quia ex iure ad rem mediato descendit, porro b) civilis, quum ex iure civili stricte sic dicto proficiscatur, & c) stricti iuris *arg. §. 28. Inst. de action.* vid. GER. NOODT *de Foen. & Vsur. Lib. III. c. 7. in fin.* 2) Datur reipublicæ, sicque de iure romano etiam civitatibus, iure hodierno autem non solum his, sed & aliis vniuersitatibus, prout supra §. 17. ostendimus. Quia vero ipsa vniuersitas in iudicio comparere, & actionem proponere nequit, eam instituire debet per alium, syndicum scilicet, vel actorem ab vniuersitate legitime constitutum, qui nomine vniuersitatis agit, vid. *l. 8. D. b. t.* vbi VIPIANVS refert, ita rescripsisse Divos Fratres Flavio Celso: *Quodsi detrectat* (scil. Staius Rufinus), *actores constituti, qui legitime pro ciuitate agere possunt, nomine publico adire aduersus eum iudices poterunt.* Conf. dicta §. 18. nec non *tit. D. quod cuiuscumque vniuers. nom.* ibique interpretes. 3) Competit aduersus pollicitatorem: quod per se clarum est. An & quatenus autem aduersus heredes pollicitoris locum habeat, ex dictis §. 22. colligi potest. Contra tertium possessorem rei promissæ non datur *arg. l. 2. D. b. t.* 4) Finis huius actionis est, vt pollicitor eiusue heredes præsent promissum, sicque, vt dent, vel faciant, ad quod dandum vel faciendum sese obligarunt. Ordinarie quidem tendit ad præstandum solidum, quod promissum est; sed interdum diminutioni locus est, sicque minus quam solidum consequitur respublica, prout supra §. respublica 22. vidimus. Vfuræ in hanc actionem ordinarie non veniunt, nisi mora commissa sit, vti supra §. 23.



§. 23. docuimus. Hinc in eo bonæ fidei iudicia imitatur. Vid. GER. NOODT *l. c.* Fundamentum huius actionis est pollicitatio legitime facta, ad quam quid requiratur, supra §. 19. seq. traditum est. Actor in hac actione probare debet, pollicitationem esse factam a præsentē, idque vel ex iusta causa, vel promissum impleri coeptum esse. Conf. dicta §. 19. Iudex competens in hac causa est iudex domicilii, *l. 8. D. b. t.* Videri posset, per iudices intelligendos esse iudices pedaneos, vid. WESENBECCIUS ad tit. *D. de pollic. n. 6.* sed id displicet BACHOVIO ad *Wesembec. d. l.* & merito. Volunt enim Divi Fratres, ut actores seu syndici iudices recta adeant, quo modo non adeuntur iudices pedanei, qui ab eo, cui ius dandi erat, primum dabantur *l. 12. §. 2. D. de iud.* & ubi dari erant, tum demum adiri poterant. Neque obstat, quod per iudicem multis in locis iudex pedaneus significetur, ut in *d. l. 12. §. 1. 2. D. de iud. tit. C. de ped. iud.* quum, alibi per iudicem etiam magistratum intelligi magis notum sit, quam ut ulteriori probatione indigeat, vid. *l. 1. l. pen. D. de iud. l. II. §. 1. D. de iurisd. tit. D. de reb. auctor. iud. poss. add. CHPH. CASPARI Disp. de pollicit. §. XII.* Quodnam autem iudicum seu magistratum in hac causa sit officium, simul docent Imperatores in *d. l. 8. D. b. t.* dum subiiciunt: *Qui cum primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, cognoscent, & si opus perficere ab eo debere constituerint, obedire eum reipublicæ ob hanc causam iubebunt, aut prohibebunt distrabi fundum, quem in territorio Gabiniorum habet.* Cum enim relegatis dies excedendi a Præfecto Vrbi vel Præfide præscribi




scribi soleat, hac formula: *Illum provincia illa, insulisque eis relego, excedere debet intra illum diem l. 7. §. 17. D. de interd. & releg.* ac proinde relegato diutius in ciuitate morari non liceat, neque æquum sit, ut opus promissum usque ad reditum relegati differatur: merito volunt Imperatores, ut iudices, *quam primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, de eo cognoscent.* Et si quidem constet, opus reipublicæ promissum esse, obedire eum & opus perficere iubeant, *l. 10. l. 13. D. b. t.* aut, si fundum in territorio Gabiniorum habeat, eum distrahi prohibeant, ne per alienationem fundi actio Gabiniorum difficilior reddatur. Quod quo minus & ad casus similes extendi possit, veluti, si debitores de fuga suspecti sint, dubitandum non videtur *l. 32. pr. D. ad L. Falc.* Conf. 10. ORTW. WESTENBERG *Divus Marcus Diff. XXV. §. XIV. seqq.* Hæc actio quadraginta annos durat *l. 4. C. de præscript. XXX; vel XL. ann. Auth. quas actiones C. de sacrosanct. eccles.* Vid. PET. MASCOV *Disp. de pollicit. & vot. Sect. I. §. XVIII.* Exceptiones, quæ huic actioni opponi possunt, ad hæc tria principia redeunt. Nimirum opponi potest, 1) pollicitatorem fuisse inhabilem ad pollicendum, v. g. mente caprum, impuberem etc. fuisse tempore factæ pollicitationis, 2) pollicitationem non rite esse factam, v. g. indiscretam esse, vel per epistolam ab absente, vel sine iusta causa factam, nec promissum impleri coeptum esse, 3) adesse causam, quæ pollicitatorem eiusque heredem liberat ab obligatione vel in totum vel pro parte e. g. pollicitatorem pauperem esse factum,



actionem per praescriptionem esse extinctam etc. Formulam libelli actionis ex pollicitatione habet BOEHMER *in Doctr. de Action. Sect. II. Cap. VII. §. 11.* & MENCKEN *in Doctr. de Action. Sect. II. Cap. II. Mebr. 1. §. 10.* Ceterum confer ad totum hunc locum praeter BOEHMERVM dict. loc. cui add. si placet: TOB. CARRACH *Adnot. ad Boehmeri doct. de Act. p. 288. seq.* & MENCKENIVM *dict. loc. in primis IOH. LVD. SCHMIDTS Lehrbuch von gerichtl. Klagen u. Einred. (Jena 1778. 8.) §. 697. seqq.*

## ERRATA ET OMISSA.

Pag. 3. lin. 6. loco: *pericul. lege pericul.* lin. 7. post. *l. 5. D. ad leg. falc.* adde: *l. 19. pr. D. de donat.* pag. 13. lin. penult. loco *Reginat* lege: *Reginae* lin. ult. loco *ingrediant* lege *ingrediantur.* pag. 25. lin. 23. loco *praescaenium* lege *proscenium.* pag. 28. lin. 23. post *fomites* adde *Conf GER. von STOECKEN Diff. de pollicit. Quaest. VI.* pag. 35. lin. ult. post *XXXVI.* adde: *vt & Quaest. XII. Add. l. 1. §. ult. D. cod.*



V I R O

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
SVPREMAE IN IVRIS SCIENTIA DIGNITATIS  
CANDIDATO DIGNISSIMO

P. S. D.

CAR. CHRIST. AVG. SEBALD

IVR. CAND.

PRIMISLARIA VCARO - MARCHICVS

OPPONENS.

*I*lluxit, Vir Praenobilissime, exoptatus ac splendidus ille dies, quo publice summos in utroque Iure consequeris honores. Quid dignius, quid praecelcius esse potest, quam in scientia, quae iam a veteribus Iureconsultis divinarum humanarumque rerum scientia appellabatur, sibi summos acquirere honores! Gratissimo animo opponentis provinciam quam hodierno die pro TVA erga me benevolentia mihi demandare voluisti, gerendam, suscipio, quamvis imbecillitatem virium mearum satis sentiam ac perspectam habeam. Quam ob causam meum esse puto, TIBI maiores vel ideo gratias agere, quod me isto honore dignum iudicaveris. De qua re uti maxima afficior voluptate, ita ex animo TIBI gratulor, Vir Praenobilissime, de acquisita in Iurisprudencia praecelara eruditione, quae inter alia & e specimine TVO de pollicitatione in primis in specie sic dicta satis superque elucet; gratulor quoque patriae familiaeque TVAE de membro dignissimo. Vota mea de TVA sempiterna salute & incolumitate sane sunt ardentissima. Valeas semper, faveas mihi, atque TVAE benevolentiae me habeas commendatissimum. Dabam Ha-  
lae prope Salam. d. XX. Februarii MDCCLXXIX.

V I R O

V I R O  
PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMOQUE  
IVRIVM DOCTORANDO DIGNISSIMO

S. P. D.

LVDOV. FRIDER. FITZAV

IVR. CAND,

DESSAVIA - ANHALTINVS

OPPONENS.

---

*Nescio sane Tibine magis, Vir doctissime, an mihi vero hodie gratulari debeam. TIBI omnino est gratulandum, & multa habeo, quae in laudem Tuam proferre possem, sed cum merita TVA de Iurisprudentia iam sint satis nota, & haec TVA dissertatio praecellarum eiusdem rei testimonium praebet, laude mea plane non indiges. Magno mihi honori duco summumque percipio gaudium, quod opponentis spartam mihi demandare Tuaeque doctrinae me testem existere volueris. Vices mihi demandatas, quantum quidem in me est, explebo ac finito certamine nostro, iterum sed coram TIBI gratulabor. Ceterum, amicitia TVA & benevolentia ut me & in posterum prosequi velis, etiam atque etiam rogo. Vale! Dabam Halaë Salicæ d. XX. Februarii  
C1818.*

---